





2b. 15





50.  
66  
Ordinis Philosophici  
DECANUS  
M. PAULLUS  
FRANCUS  
Poeseos Profess. P.

*Officio flagitante*

*ad*

PHILOSOPHORUM

*Honorum insignia*

Humanitatis & Philosophiæ

STUDIOSOS

humaniter invitat.

*Pridie Idus VIIbris*

ANNI

∞, IO, CXXIV.

LITTERIS

FRIDERICI HARTMANNI

Bibliopolæ.





## RACULI VICEM

*semper Platonis illius, qui sublimis apex Philosophorum & columen audit Arnobio adversus Nationes lib. I. habitum est, quod in litteras conjecit V. de sua Republ. & VII. ad Dionis propinquos epistola: εὐὰν μὴ ἢ οἱ Φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε καὶ δυνάσται φιλοσοφῶσιν γνησίως τε ἢ ἰκανῶς, ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν.* Tum denique malorum fore paulam, cum aut sapientes regere, aut regentes sapere coeperint. *Hac illa est tantis Scriptorum elogiis insignita sententia, qua, veluti inserta vel emblemate vermiculato, numero in scriptis usi sunt suis, tum venerandi Ecclesiarum Antistites, Justinus Martyr in limine posterioris Apologiae pro Christianis ad Antoninum ac S. P. Q. R. Gregorius ille Nazianzenus epist. CXL. Lactantius de falsa Sapient. c. XX. Aur. Prudentius I. in Symmachum v. XXXI. Agapetus Diaconus in Scida regia ad Justinianum cap. XVII. Joannes Sarisberiensis VII. Policratiei de nugis curialium c. VI; tum ex Sapia solibus, Cicero ad Quintum Fr. ep. I. c. X, Boethius I. de Cons. Philos. prosa VI. Musonius orat. ad Syriae regem apud Stobaeum serm. XLVI, Alcinous de doct. Platon. c. XXXIII, Rutilius Lupus sub initium libr. I; tum ex nobili illo Sophistarum, ita honestè olim usurpabantur Oratores, nu-*



res, numero, Themistius Euphrades orat. XIV extrema, Ari-  
stides Orat. pro Quatuor viris parte altera, tum ex Historio-  
graphis Polybius in excerptis libri XII. c. 16. Valerius Maxi-  
mus lib. VII. cap. sec. tum inter ipsos Imperii Romani condi-  
tores & conservatores M. Antoninus Philosophus apud Ful.  
Capitolinum in vita eius cap. XXVII.; ut rectè post seme-  
stre interregnum omnis Senatus, in curiam Pompilianam Ro-  
ma ad Imperatorem eligendum confidens, Tacito Augusto ac-  
clamaverit: quis melius quam literatus imperat? apud  
Fl. Vopiscum in vit. c. VII. Quod si verum illud de iis, qui  
publicæ salutis gubernaculis admoventur, quanto verius de il-  
lis erit, qui in pulvere president Scholastico? Illic enim vel a-  
liena sapere sapientia, non proficuum & consultum, sed penitus  
necessarium est: adeo ut non tantum Nazianzenus rideat il-  
lud Platonis scitum, & Juliano Imperatore, summatis et-  
jam Philosophis comparando, civitates miseræ esse non desisse,  
sed infortunis potius compluribus auctas, in Stelitentico ser-  
mone primo pronunciet: cum is re absente fuerit, ut Christiano-  
rum Horatius in Apotheosi v. DXXIX canit,

ductor fortissimus armis,  
Conditor & legum, celeberrimus ore manuque,  
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ  
Religionis:

verum & Themistius, in Senatu R. condocere facere gestiens,  
Constantium Imp. Philosophiæ, quam tant opere predicaverat,  
egregiè doctum esse, in Orat. XVII dicere ausit: Platonem



quidem, licet cetera omnia divinum ac venerabilem, hanc  
ramen sententiam periculose admodum emisisse: illam-  
que cum tempore refutatam jam pridem poenas dedisse. At  
ex cathedra docere & regere qui contendunt ignaram & ne-  
sciam adolescentiam, ipsi philosophia & humaniorum littera-  
rum rudēs, non possunt ullomodo (quamquam insolentiam regi-  
minis efferant animos, & incredibili armati sint audacia)  
non in agendo ruere ac saepe peccare, aliosve in errorum preci-  
pitare labyrinthum: tantum abest ut quidquam ad Reipubl.  
salutem & felicitatem conferre queant. Absurdum enim  
est nescire id quod nos docere velle alios recipimus: Απο-  
πov γὰρ μὴ εἰδέναι, ὁ διδάσκων ἐπαγγελλόμεθα, ait de Pe-  
lusio monte Isidorus libr. IV. ep. CCXXIX. Et quid aliud  
agunt docendo alios, quam ut semper sint docendi? ipso Julia-  
no, quem facetè Idolianum appellitabant (Nonnus in σηλι-  
τευτικόν Nazianzenic. XXXIX) perniciosiores: qui frau-  
de speciosa scholas civitatum claudunt, sicut ille vi aperta.  
Ne tamen vafrities eorum & tyrannis in artes & ingenia nō  
male nata deprehendatur, aut ipsorum prodeat ruditas, doctio-  
rum limina non secus ac vespertiones lucem, fugiunt. Ad-  
piscendi interim honores avidi simul & nescii, vulgo & sepla-  
sariis se venditant, qui fastu & habitu philosophiam metiun-  
tur: ibi diiudicare omnes, gloriam depeculari illorum potissi-  
mum, quibus notam autumant inscientiam suam: Ταυμα-  
σιομένους verò captantes, seipsos depradicant, & magno ap-  
plausu jactant se invenisse, quod cum difficultate tritum est ab  
antiquis:



antiquis; ut cum Asopodoro Phlasiō exclamare liceat apud  
Athenaeum lib. XIV. c. VII, Δῆλον ὅτι μέγα κακὸν γέγονεν,  
ὡς ἔν αὖ ἄλλως ἐν τοῖς πολλοῖς εὐδοκίμησαντ. Magnū oportet  
aliquid malum accidisse, alioqui tam multis non probaretur.  
Sed non possunt tales doctorum fuci, philosophantium simii  
diu latere, quacunq; etiam se palliant formā, ne si Orci quidem  
galeam, ut loqui amant Graeci, induant, aut Gygis annulo  
et pala ad palmam versura sese suffurentur. Si effari aut in  
litteras mittere vocem inceptant, solœcismum antequam verba  
fundunt, nullas veneres, nulla orationis honestamenta, meras  
stribilignes crepant, quasi philosophos, tales enim haberi  
volunt, litterarum osiores esse oporteat, ut pullum candidumq;  
nonnulli amicium praeferentes, Synesii rebantur tempestate,  
de quibus Antistes conqueritur in epistola, quod mireris, ad  
Philosophiae magistram, CLIV, et citius cor eorum quam quae  
in corde sunt videri, haud inueste ait in Dione. Mox et  
discentes, qui aut tadio obmutescunt, et res suas sibi habere  
Musas iubent, aut quod infeliciter auspiciati sunt, infelicius  
pertexunt, imperitiam praeceptorum suorum loquuntur, non  
absimiles Psaphonis Lybici et Annonis Cartbaginiensis  
avibus, quas illi, praestabiliorem de se famam evulgare  
sat agentes, hasce cantilenas, Magnus Deus Psaphon; Annon  
Deus est; edocuerunt, et in diversas dimiserunt plagas,  
dispari planè eventu. Ille enim carmen quidem evulgatum  
ibant, quod refert Max Tyrius Diss. XIX: iste vero Annonis  
sui male memores, cantum edebant, ad quem



non docta, sed facta erant, *Æliano attestante libr. XII, var. c. XXX.* Ita ubi etas illis ex suorum magisterio excessit, aliis libris calcatis ac projectis, aut etiam ad fumum suspensis, non secus atq; navium gubernaculis & ligonibus hiemali hora, ut *Nazianz. loquitur epist. XXXVII. & CXCI*, sellularias exercet artes, & mavult Pistorum precipuus esse, quam philosophorum postremus. Alter quia philosophiam eiꝯ ancillantes disciplinas citius odisse quam fructus earundem nosse cepit, frigidiusculas & protrit as aliquot voculas satis habet edidicisse, reliquas ad *Cynosarges*, velut olim spurios, relegans, ex templo vel

Artes discere vult pecuniosas,  
Ut facetè ludit *Martialis lib. VI ep. LVI*, non turpe sibi ducens, sicut olim *Lucullus*, apud *Plutarch. in vit. domum* si aliunde discedēs, ex succus jaceat artium bonarum jejunitate mortuus: vel facile quid esse putat planeq; promptissimū & cuiusvis pervium, quod vulgò fertur apud *Agathiam lib. II Hist. p. 495*. Pedem porrige & *Theologiam* attinge: atq; ita sine primo secundoq; ad philosophiam gradu, ut *Clem. Alexandr. loquitur*; zonatenus philosophans, si gemina aut trigemina edidicerit pia verba, priusquam *Fœderis* utriusque conditores & characterisnum cognitos habuerit, *Græcæ*, ne dicam *Romane* & qua locutus est *Deus ipse*, lingue profanus, divini ministerii præsidem se tinius diecula spatio velut simulacrum ex argilla fingi posse, persuasum habet, ut gravissimè in tales funginos *Nazianzi* irvehebatur Theo-



*tur Theologus, Apologetico ad Episcopos. Mira enim, con-*  
*gnanter scribit Synesius, ep. CXLIII ac subdola quædam res*  
*est vana de lua scientiâ persuasio, quæ inter imperitos ni-*  
*hil recusat, nihil non inconsiderate suscipit, quid n. inscitiâ*  
*polsit esse audacius? Imò quid vanius & profanius? nescio*  
*quid alitis, nescio quem libitinarium Deum fingens? ad quæ*  
*despuendum esse od indignitatem rei & os purgandum,*  
*cum Æschylo pie censet gentilis Plutarchus de Iside & Osiride*  
*p. 358. Quæ inde in Rempubl. Christianam redundet utili-*  
*tas, quæ felicitas, dicere superforaneum est: Utinam toties*  
*in audire necessum non haberemus! O cor Momacynthi! ô je-*  
*cur Cyrbionis! ô inhumana humanitas, quæ humanitatis ru-*  
*des, humanitatis præficit cultoribus, dignos illo, quod Postumi-*  
*us olim reportavit, præmio, aut si quid spurcius est, in de Lega-*  
*tionibus cap. IV Dionysii Halic. legendo potius quam hic ac-*  
*cerfendo! Huic Rerumpubl. pessimo mederi volens Romana*  
*antiquitas, erudiendis liberis ex Attica philosophos præcepto-*  
*res poposcit, eosq; variis honorum corollis innumerisve decora-*  
*tum idit prærogativis, ut ex Symmach. l. X. ep. XXV. paret*  
*aliisq; Et subsequæ ætas moris istius æmula, Sapientiæ ama-*  
*stiones insignibus honorum adores, quas honorifice habent A-*  
*cademiæ, ad nostratia usq; tempora mactare est solita. Opor-*  
*tet enim bonis decentem doctrinis super omnia ornatum*  
*conferri; sapientiæ suam dignitatem; virtuti debitum*  
*præmium; scientiarumque omnium optimam, philolo-*  
*phiam, ubique, & apud nos, resplendere. Ita enim eve-*  
*niet,*



niet, ut etiam reliquæ artes majus hominum studia nascantur, quando illa, quæ princeps omnium & præcellentissima est, suum honorem consequatur: quæ Constantii Imp. verba sunt in litterarum calce ad Senatum de Themistio. Quotquot itaq; hætenus sectati estis litteras & philosophiam ὡς φιλοσοφωτάτην αἰρέσεωv, ut iterum egregiè Cyrenes Episcopus nominat ep. C. L. IV, tanquam statuum omnium conditionumq; vitæ sapientissimam; asperum Momi lapidem nil veriti, studiorum philosophicorum præmia petite, & quæ ambabus manibus Amplissimus ordo Philosophorum humaniter offert, cum lubentia acceptate: neq; semidoctos emulantes, beatos illos putate, qui ab amussis in altum erebhi adlaborant. Philosophia, Ciceronis censione II. Tuscul. c. I. paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens; eique ipsi & suspecta & invisæ.

En pater Auctumnus quos offert collis honores,  
Et quos ostentat vinea larga botros,  
Jam resecat legulus, læto jam palmite musta,  
Per præli nudo sub pede labra fluunt,  
Hac secreta tenus Sophiæ, Rationis & artes,  
Et Suadæ fontes, si penetrasse juvat;  
Quos studii fructus & honorum demetit uvas  
Cleio docta, Manus pubis honesta, cape,



Ja 666

ULB Halle 3  
002 177 021



5b-700

Von 7


MC











B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

58.  
66

philosophici

ANUS

ILLUS

CVS

rofess. P.

*itante*

HICORUM

*nsignia*

Philosophiæ

osos

invitat.

*VII breis*

NI

CXXIV.

ERIS

HARTMANNI

polæ.